

Q. K. 385, 12.

II l  
204



ORDINIS IVRIDICI  
IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI  
H. T.  
**D E C A N V S**  
**GEORGIVS FRIDERICVS**  
**K R A V S D**

DIGESTI INFORTIATI AC NOVI PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIUS CVRIAЕ PROVINCIALIS  
CONSISTORII ECCLESIASTICI ITEMQVE  
SCABINATVS ET FACVLTATIS IVRIDICAE  
ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S. D. P







DE  
CLERICO MERCATORE.



um clericos ordinarie ab omnibus negotiis secularibus alienos esse iubent leges canonicae: tum eosdem speciatim quoque ab vsu mercaturae regulariter arceri, vix quenquam latere poterit, qui vel leuiter tantum iura, praesertim canonica, perlustravit. Evidem male hic trahi solet canon 4. dist. 44. quem ex canonibus Synodi quiniseptae in Trullo habitae desumptum, prout recte obseruauit CASPAR ZIEGLERVS, a) mutilum excerptit Decreti compilator Gratianus, siquidem verba Synodi non mercatorias tabernas, sed cauponarias saltem attinent. Magis autem ad rem faciunt, quae ex actis Concilii Tarragonensis idem compilator alio quo.

(A) 2

dam

a) ZIEGLERVS de iuribus maiestatis. Lib. I. Cap. XLII. §. XVII.



dam loco *b)* commemorauit, canonum scilicet statutis firmatum esse, vt quicunque in clero esse voluerit, emendi vilius, vel vendendi carius studio non vtatur, idque si voluerit exercere, a clero cohibeatur. Neque etiam silentio praetereundum est seuerum GELASII papae rescriptum ad episcopos per Lucaniam, *c)* quo is, indigne ferens perlatum ad se nuncium, plurimos clericorum negotiationibus inhonestis et lucris turpibus imminere, immemores, quod ipse Dominus negotiatoris flagellis verberatos e templo expulerit, absisse clericos ab omni cuiuslibet negotiationis ingenio vel cupiditate cessare, aut in quocunque gradu sint positi, mox a clericalibus officiis abstinere iussit. Praesertim autem ALEXANDER III. pontifex, *d)* clericos pariter atque monachos, adeo sub intermissione anathematis, prohibuit, ne lucri causa negotientur. *e)* Nec desunt quoque imperatorum constitutiones, quae mercatura ex exercitio clericos interdicunt. Inprimis hue pertinet illa ARCADII et HONORII, *f)* qua expresse fanebitum est, vt aut commoda negotiatorum sequentes a clericorum excusatione discedant, aut sacratissimo Numini inservientes versutis abstineant quaestibus. *g)* Quamuis autem non omnino deficiant, qui isthanc mercatura ex prohibitionem adeo generali esse censeant, vt ad omnes omnino clericos, tam maiorum

*b)* Can. 3. quæst. IV. Can. XIV.

*c)* Can. 2. distinct. 88.

*d)* C. VI. X. ne clerici vel monach. sicut. negot. se immisc.

*e)* v. Can. 9. et IO. dist. 88. c. 16. X. de vita et honestate clericor. Clement. I. eod. tit. add. CLAVDIVS SALMASIUS de usuris cap. XXI.

*f)* L. 16. C. Theod. de lustrali collatione

*g)* conf. IACOBVS GOTHOFREDVS ad L. I. 5. II. & 16. Cod. Theod. sic. tit.

rum, quam minorum ordinum, pertineat, nec quicquam inter-  
 esse putent, siue seorsim, siue coniunctim in corpore seu col-  
 legio quodam vniuersitate, siue ipsi, siue per alium, veluti per ins-  
 titorem, siue in suam, siue alterius in utilitatem, mercaturam  
 exerceant: tot tamen limitationibus, quas partim leges ipsae  
 atque canones, partim interpretum ingenia suggererunt, ista  
 restringi solet prohibitio, ut rarius deesse videatur clerico  
 mercatori excusatio. Ac primum quidem ad eos, qui non  
 vere in sacris sunt constituti ordinibus, verum primam tantum  
 tonsuram, vel minores acceperunt ordines, istam pertinere in-  
 terdictionem, non sine ratione solida negat BÖHMERVS. b)  
 Deinde non leue praesidium clericis mercantibus, si qualem-  
 cunque necessitatem praetexere possint, praebet caput i. X.  
*ne clericis vel monachi seculari negotiis se immiscat*. quod expre-  
 se permittit *iustum negotium propter diuersas necessitates*,  
 hac addita causa, quia legimus sanctos apostolos negotiatos  
 fuisse; Cuiusmodi necessitatum suggerit exempla Antecessor  
 quondam Tübinger MICHAEL GRASSVS. i) Sic etiam  
 CONSTANTIVS IMPERATOR k) indulgendum esse cleri-  
 cis censuit, si exiguis admodum mercimonii tenuem sibi vi-  
 etum vestitumque conquirant; et speciatim imperatores GRA-  
 TIANVS VALENTINIANVS atque THEODOSIVS cleri-  
 cis intra Illyricum et Italiam, in denis solidis, intra Gallias  
 vero, in quinis denis solidis, immunem negotiationis usum

(A) 3

con-

b) BÖHMERVS in iure ecclesiastico. Lib. III. Tit. L. §. XIII.

i) GRASSVS in dissert. de negotiatione clericorum prohibita, Cap. V, habit. Ta-  
bingae anno 1705.

k) L. 15. Cod. Theod. de episcop. eccles. et clericis.

concesserunt. l) Imo vero, ampliorem quoque, quam rei familiaris necessitas exigere videbatur, mercaturam agere clericis permisit CONSTANTIVS, dummodo ea honesta sit, et, quod abundat lucrum, ad subleuandam pauperum indigentiam impendatur: Si clerici, inquit, vel parsimonia vel MERCATVRA (*honestati tamen conscientia*) congesserint, in usum pauperum atque egenitum ministrari oportet. At id, quod ex eorundem ergasteriis vel tabernis conquiri potuerit, et colligi, collectum id RELIGIONIS existiment LV CRVM. m) Qua quidem mercatura nullam sanctiorem, nullam honestiorem esse iudicat supra laudatus ZIEGLERVUS. n) Porro non immerito ab ista mercatura prohibitione eam eximunt speciem, siquidem clericus merces quasdam bona fide in suum suorumque usum coemerit, iis vero ex superueniente aliqua causa non indigeat; o) Has enim si deinceps siue per auersionem, siue minutatim vendere possit, moderatum aliquod lucellum nequaquam illi inuidendum est; Quin imo ne quidem mercator dici meretur, qui merces, sine animo eas lucri causa iterum vendendi, comparauit. Vnde vix quisquam ambiget, integrum esse clericis, quae per hereditates, aut alias fortunae liberalitates, illis obtigerunt, itemque, quos ex possessionibus suis beneficiisque capiunt fructus, et, ut breuiter summatimque rem exponam, quicquid ad clericos pertinet, non mer-

l) L. XI. Cod. Theod. de Iustiali collatione; conf. IAC. GOTHOFREDI COMMEND.

ad b. l.

m) L. 2. C. de episcopis et clericis.

n) ZIEGLERVUS de iur. maiest. Lib. I. Cap. XLII. §. XVII.

o) V. GRASSVS cit. differt. cap. V. pag. 37.

❀ ❀ ❀

mercatura exerceenda gratia ab iis conquisitum, aliis aequo vendere pretio. Sic etiam, si praedia possident clerci, quibus ius aliquod reale negotiationis inhaeret, non absolute ab istius iuris exercitio exclusi sunt existimandi, quamuis eos ita temperare deceat huiusmodi iuris usum, ne quicquam personis muneribusque suis indignum admittendo, scandala excitant. p) Id quod in primis Saxoniae nostrae leges ecclesiasticae grauiter inculcant parochis. Cum enim hos a mercatura aliisque negotiationibus abstinere iubent, q) his conceptis verbis: Es sollen auch die Pfarrer sich aller unehrlichen Handthierungen, wie auch des Wein-, und Bierschenkens, Kaufmannschaft, Verkauffs auf Wucher, und dergleichen Handel gänzlich enthalten: cum quidem additur haec exceptio: Da denen Kirchen-Dienern eigener Wein wuchse, oder zu Decem gefiele, oder sie auf der Pfarre oder sonst Gerechtigkeit hätten, Bier zu brauen, mehr, denn sie zur Haushaltung bedürffen, oder eigene Häuser hätten, darauf sie zu brauen befugt; Sed statim adiecta legitur restrictio: daß ihnen solches bei Fasen, Eymern oder Tonnen andern Leuten zu verkauffen unverwehret seyn solle, alleine, daß sie nicht schenken, Beichen aussstecken, oder Gäste zur Beche im Hause setzen, daraus grosses Vergerniß der Kirche, und ihnen denen Pfarrern mehrmals grosser Schimpf, Spott, Gefahr, Nachtheil und Schaden erfolget. Quam etiam legem saluberrimam expressa hac sanctione poenali muniuit Diuus Legislator: da sich einer anders denn wie gemeldet, verhalten wür-

de,

p) CARPOVII definiz. Confessorial. L. I. def. CXLVIII.

q) In Generali Articulo XVI.



de, soll er alsbald seines Amtes entsetzt werden. Sicuti autem ipsa haec patria lex nostra, negotiationem aliquam cereuiliariam, licet restrictam, parochis permittens, argumentum praebet, vtique in principiis, cui legum ecclesiasticarum ferendarum ius est, consistere arbitrio, an et quatenus clericis quandam negotiandi mercandiue indulgere velit licentiam: ita dubitandum non est, quin et integro ordini clericorum lege publica, et vni alterius personae ecclesiasticae priuilegio, facultas honestae alicuius mercaturae exercendae concedi possit. Neque enim ex iure diuino generali mercaturae clericorum prohibitionem praestari posse, vel ipsae illae produnt rationes, quas pro iustitia interdictionis clericorum, ne se immisceant negotiationibus, studiose conquisuit aliquoties iam citatus GRASSVS. r) Quapropter illud quoque haut egere disceptatione putamus, quod ex consuetudine loci, dummodo cuncta legitimae consuetudinis adsint requisita, ius aliquod mercandi clero possit subnasci. Recte BÖHMERVS s) de negotiationibus, quae ad commercium ciuium municipalium pertinent, verba faciens, multum, inquit, hoc casu consuetudini dandum est, quae ad varia clericos negotia habilitat, alibi iis interdicta. Ceterum clero cui ipsimet per legem aut consuetudinem mercaturam agere fas non est, eandem regulariter nec per alios, veluti per vxorem, liberos, famulitum, institores, aut socios, exercere permittendum esse, regula confirmat VLPIANI: t) *Quod quis suo nomine exercere*

pro-

r) GRASSVS in alleg. differt. c. III.

s) BÖHMERVS cit. loc. §. XV.

t) VLPIANVS in L. 2. §. 1. D. de administratione rerum ad ciuitat. pertinent.

prohibet nr, id nec per subiectam personam agere debet. Sed praesentis instituti ratio hoc argumentum plenius tractare vetat. Deueniendum potius ad eum, cuius in honorem haec scripta sunt. Est is *Vir Nobilissimus ornatissimusque IOANNES ADAMVS SCHOTTVS, Steinouia Hanouianus, iuris utriusque Candidatus, et Aduocatus sollertissimus*, qui nuper ab ordine nostro decenter petiit, vt ad ea admitteretur specimina, quae ab iis, qui ad summos in iure honores adspicunt, sunt praestanda. Admissus ad utrumque examen, iuris peritiam sic probauit Ordini, vt hic eum ad ultimum quoque, idque publicum legalis scientiae specimen edendum merito admittendum esse censuerit.

Viuendi autem studiorumque suorum rationes ipse *Candidatus noster politissimus hisce delineauit verbis:*

*Ego IOHANNES ADAMVS SCHOTTVS, natus sum Anno Christi Servatoris nostri MDCCXXXVIII. d. XXVI. Martii, Steinouiae, patre IOHANNE PETRO, mercaturam faciente, anno D. IOHANNE ADAMO, Archiatro primum serenissimi ac clementissimi Principis Hadamariensi, deinde ciuitatis Vormatiensis. Poliatro. Matrem colo IOHANNAM SABINAM LVDOVICAM natam SOLDANIAM, cuius pater Wingersbuae, in agro Darmstadiense sacra fecit. Parentis optimi, mibique maxima semper pietate colendi, cura effectum est, vt a sexto aetatis anno usque ad decimum IOHANNIS NICOLAI KAVZII, et post eius obitum, primum FINGERI eo tempore Diaconi locum, magna omnium cum gra-*

(B)

nia

tia tenentis, deinde IOHANNIS GEORGII KAVZII,  
qui frater superioris fuit, institutione priuata ac domestica  
vterer. Deinde, cum ita rebus meis consultum putaretur,  
celebre illud Gymnasium, quod Solitariae, in Comitatu Ha-  
nonico floret, adii, ubi in locum tertii ordinis discipulorum  
receptus optima, quamvis seuera disciplina NVCHTERI  
profeci. Laudo etiam SCHLEMMERI Correctoris, iam  
defuncti, in me merita. Plurimum autem HADERMANI,  
Rectoris doctrinae et favori debo, qui a primo inde tempo-  
re usque ad discessum meum, maximo me semper amore et  
benevolentia est complexus, cui me palam nunc gratias agere  
posse, vehementer gaudeo. Lipsiam me contuli anno quinqua-  
gesimo quinto die V. Maii, et ciuibus academicis WINCK-  
LERO Rectore Magnifico adscriptus, cum hunc ipsum sum-  
mum virum fauoremque optimum, tum alios huius Vniuer-  
sitatis litterariae doctores secutus sum. Illum quidem in phi-  
losophia vniuersa, historia animalium, et physica experimen-  
tis faciendis cognoscenda, magna cum voluptate ERNE-  
STIVM S. V. in Antiquitatum enarratione, in morum do-  
ctrina Excell. GELLERTVM, CRVSIVM Sum. Ver.  
denique contra profanitatem admonentem audiui. Sed cum  
iuris legumque disciplinae cognoscendae meum maxime stu-  
dium dicare statuisse, ad eorum, quos in hoc genere celebra-  
ri intelligerem, scholas accedendum putaui. BACHIVM  
doctissimum et acerbo nobis fato eruptum, cum Institutiones  
Iuris traderet, secutus sum: in Pandectarum libris expli-  
candis ad humanissimi et Excell. IOH. TOB. RICHTERI

et

❧      ❧      ❧

et disciplinam et amicitiam me adiunxi. Apud GEORG.  
 ANDR. IO ACHIMVM, nunc fatis defunctum, linguam  
 quidem quaestionibus impugnandis et defendendis, responden-  
 di facultatem examinibus subeundis, scribendi autem, tra-  
 clandis, quae in foro agitantur, negotiis, exercui. Ill.  
 HOMMELIVM patrem, in arte ex Actis referendi et de-  
 cernendi doctorem habui: filium, quem illustri Iurisconsulto-  
 rum Collegio Praesidem nuper datum merito gaudemus, in  
 Iuris Germanici ratione percipienda. Quam ipsam quoque ab  
 Ill. MASCOVIO maiore traditam recognoui, minori GO-  
 DOFREDO, in iuris naturae decretis exponendis, adfui.  
 Ius, quod Criminale vocant, Consultissimus et Excellentissi-  
 mus GRAEFIVS me docuit, Feudale, Ill. IOHANNES  
 GODOFREDVS BAVERVS, cuius memoria cum mi-  
 hi tum omnibus perpetua manebit. Iuris Canonici ambitum  
 ab Excellentissimo IOH FRID. MULLERO accepi, Iuris  
 Cambialis modum rationemque a Consultissimo PVTTMA-  
 NO, amico optimo. Neque vero, quae PITTERLINO,  
 caffarum patrono debeam, silentio praetermittenda sunt,  
 qui praecepta doctorum mecum recognouit, et meam potissi-  
 mum in rebus agendis intelligentiam mirifice adiuuit, integer-  
 rimam denique amicitiam praestitit. Secundum quae A.O.R.  
 MDCLIX. d XXIX. Martii praeside Ill. ZOLLERO  
 theses quasdam iuris controuersti defendi, ac eodem anno d.  
 III. Aug. ab illustri Iurisconsultorum Lipstensium ordine ad  
 examen pro praxi admissus, caffarum patroni iura mihi de-  
 latæ, recepi. Nunc autem a patre optimo admonitus, ut Vi-  
 tember.

AK III 204

XII

W

o

E

tembergae Iuris utriusque doctoris nomen et honores peti-  
rem, hanc et urbem, et magnos illos viros, qui Vniuersita-  
tem Iurisque disciplinam ornauerunt, et nunc maxime or-  
nant, huius causa adire non dubitan.

Vt igitur Candidatus Ornatissimus metam, quam sibi pro-  
posuit, ex voto attingat, PROXIMO DIE IOVIS, d. XV.  
Decembris, in Auditorio maiore, Praeside VIRO ILLVSTRI  
atque MAGNIFICO, DOMINO ERNESTO MARTINO  
CHLADENIO, ICTO, Serenissimo PRINCIPI REGIO PO-  
LONIAE et ELECTORI SAXONIAE a consiliis aulae ac  
iustitiae, decretalium professore publico, facultatis iuridicæ  
Ordinario, Consistorii ecclesiastici Directore, curiae prouin-  
cialis et Scabinatus assessore primario, Patrolo meo, atque  
collega summopere colendo, de incrementis et iuribus mer-  
caturae in Germania, publice differet; Quae quidem sole-  
nnia ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PATRES  
CONSCRIPTI, itemque Literariae reipublicae nostræ CIVES  
IC HOSPITES, honore praesentiae suae condecorare ve-  
liat, cum Ordinis nostri, tum Candidati, ac meo  
denique nomine, qua par est, ob-  
seruantia rogo.

---

P. P. Dominica III. Aduentus Christi Seruatoris nostri,  
A. R. G. c<sup>13</sup> i<sup>3</sup> CC LXIII.

VITEMBERGAE  
PREBO EPHRAIM GOTTLOB EICHSELDI  
ACADEMIAE A TYPIS


**ULB Halle**  
003 760 332

3



WIP

nc



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

Farbkarte #13



ORDINIS IVRIDICI  
IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T.

DECANVS  
GEORGIVS FRIDERICVS  
KRAVS D

DIGESTI INFORTIATI AC NOVI PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIUS CVRIAEC PROVINCIALIS  
CONSISTORII ECCLESIASTICI ITEMQUE  
SCABINATVS ET FACVLTATIS IVRIDICAE  
ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S. D. P